QUOMODO

CORNELIUS NOSTER

ARISTOTELIS POETICAM SIT INTERPRETATUS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Jules LEMAITRE

IN SCHOLA NORMALI QUONDAM ALUMNUS

PARISIIS
HACHETTE ET SOC. BIBLIOPOLAE

M DCCC LXXXII

QUOMODO

CORNELIUS NOSTER

ARISTOTELIS POETICAM SIT INTERPRETATUS

IMP. GEORGES JACOB, — ORLÉANS.

QUOMODO

CORNELIUS NOSTER

ARISTOTELIS POETICAM SIT INTERPRETATUS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Jules LEMAITRE

IN SCHOLA NORMALI QUONDAM ALUMNUS

PARISIIS

HACHETTE ET SOC. BIBLIOPOLAE

M DCCC LXXXII

ORNATISSIMO VIRO,

LITTERARUM STUDIOSISSIMO, NECNON MUNICIPI MEO,

AEMILIO ANTHOINE

DICABAM HUNC LIBELLUM

J. L.

QUOMODO

CORNELIUS NOSTER

ARISTOTELIS POETICAM SIT INTERPRETATUS

PROOEMIUM

Ex tribus Cornelii de tragoedia disputationibus non tam quæremus an recte Aristotelis dicta exceperit, quam quomodo : ut appareat illum omnino eumdem esse quum in componendis tragoediis tum in disserendo de arte sua, et sibi constare, seu poetam gerat, seu grammaticum.

Notum illud optimi judicis (1) : aridas esse et elumbes quas primum Cornelius comoedias docuit ; atque, ut ex iis nunquam provisum fuisse eum adeo processurum, ita novissimis ejusdem fabulis mirationem moveri quod ex tam alto ceciderit.

(1) La Bruyère, *Des ouvrages de l'esprit.*

Illud quidem probe dictum, si Cornelii opera obiter et quasi exterius inspexeris. Sin introspicies et poetae ingenium, pectus, moresque animi tanquam penetrabis, fatendum erit in *Melita* vel in *Platea Regia* quodam modo inesse jam *Cidi* splendorem, ac rursus, si quid in *Surena* enorme et minus sanum, hoc jam in *Cido* latere.

Atqui nulla alia via Cornelium melius notum habebis, quam si qaaeres quidquid ipse de theatro senserit scripseritque. Eoque magis ponderis tres illae *Disputationes*, *Praefationes*que ad fabulas et *Excursus* in se habebunt, quod ea aetate compositi sunt quum poeta maturus ingenio erat propositique sui maxime conscius.

Miraberis magni illius viri simplicitatem, animum ad magna, imo ad ingentia promptum, subliniorem simul atque argutiarum amantiorem ; multa contraria ; hinc audaciam, illinc timiditatem ; duplex, ut ita dicam, superbiae genus, quum et nova invenisse glorietur et artis praecepta, aeque ac grammaticus, novisse se et observare jactet ; judicium nunc liberrimum, nunc nimia reverentia, tanquam morbo, corruptum ; ingenium denique primo aspectu ambiguum, quo nullum aut altius, aut rudius, ant subtilius exstiterit.

In prima disputatione, de utilitate et partibus poematis dramatici disserit ; in secunda, de tragoediae personis et argumentis ; in tertia de illa « actionis, » diei locique « unitate. » — Non omnia in iis pariter, sed haec potissimum discutiemus quae poetae nostro propria ac vere « corneliana » visa erunt.

I

DE PRIMA CORNELII DISPUTATIONE

Exordio statim apparet Cornelium non tam quid de arte sua ipse sentiat ingenue elocuturum esse, quam omni ope enisurum ut cum Aristotele consentiat. Ideo laborabit et aliquando subrisum legentium movebit disceptus poeta inter proprios sensus et magistri reverentiam. Interdum tamen magistro resistit : major vero apud nos reluctantis gratia ; nam quae contra Aristotelis auctoritatem audet eo pluris aestimanda sunt quod invitus audet, nec unquam a praeceptore suo dissidet nisi conscientia veritatis et vi quadam invicta ingenii sui instinctus. His ergo dissidiis certissime aperiuntur Stagiritae, si qui sunt, errores, et

quid poetae nostro maxime cordi sit in componendis tragoediis ; ita ut illae venerabundae confutationes et Aristotelem judicent et Cornelium totum prodant.

Incertum plenumque contrariis prooemium. Nam profitetur officium esse poetae dramatici placere, sed tantum « observandis regulis. » — Unde intelligitur fabulam posse placere, vel contra regulas. Mirificae hercle regulae, quibus spretis possis acceptus esse !

Pergit noster (1) : « Constat esse praecepta : quae sint, non constat... De his Aristoteles atque Flaccus tam obscure scripsere ut interprete sit opus (2). » — Illud recte dictum ; hoc autem etiam liberius : « Saecula tantam novae materiae copiam ad condendas tragoedias nobis suppeditavere, ut Graecorum insistere vestigiis non jam sit necesse (3). » — Sed mirere

(1) Il est constant qu'il y a des préceptes, puisqu'il y a un art ; mais il n'est pas constant quels ils sont. On convient du nom sans convenir de la chose, et on s'accorde sur les paroles pour contester sur leur signification.

(2) Il faut donc savoir quelles sont ces règles ; mais notre malheur est qu'Aristote, et Horace après lui, en ont écrit assez obscurément pour avoir besoin d'interprètes...

(3) ... Les siècles suivants nous en ont assez fourni (de choses dignes de la tragédie) pour ne marcher plus sur les pas des Grecs ; mais je ne pense pas qu'ils nous aient donné la liberté de nous écarter de leurs règles. Il faut, s'il se peut, nous accommoder avec elles et les amener jusqu'à nous.

quid inde concludat : « Non censeo tamen discedere ex illorum praeceptis nobis licere. Cum his componamus si fieri potest, eaque ad nos adducamus oportet. »

Quae omnia huc redeunt : sunt regulae, quarum pleraeque obscurae, quae tamen observandae sunt, sed interdum mitigandae. Hoc autem ratiocinandi genus Cornelio usitatum vel nescio videbimus : utpote quem continuo hinc Aristoteles distrahat, illinc ingenium.

Pronuntiat quidem sese, quum nulli adhuc nisi grammatici aut philosophi scenica praecepta sint commentati, eadem suo modo explicaturum esse, quinquaginta annorum fretum experientia. Quod hercle optimum esset si tantum a *Poetica* proficisceretur ad proprios sensus libere explanandos : sed eam sequitur veluti legem in cujus verba suas opiniones, etiam per vim, reducere debeat. Scilicet aut nescire aut oblivisci videtur nihil aliud esse *Poeticam* nisi collectas festinanter notas et vix inchoatum libellum, quem viginti saecula truncatum corruptumque nobis tradidere ; hinc multa obscura, quae vix intelliguntur nedum pro legibus possint accipi ; praeterea Aristotelem fabularum numerum non ita

magnum in manu habuisse ut ex his pensitatis leges in universum posset ponere; illum denique potius docere quales sint fabulae quae placuere quam quales esse debeant ut placeant; plura ab illo observata quam decreta; quin etiam, si qua decrevit, aliquando eum errare potuisse. Quod interdum confessus est Cornelius, sed non sine longis ambagibus nec quoties aequum fuit.

§ 1. — Quomodo fabula moribus utilis esse possit.

Memorat Aristotelem nusquam praecepisse ut fabula moribus esset utilis; Horatium vero edixisse miscendum utile dulci. Huc noster inclinare videtur; nam, postquam asseruit « tragoediae finem unum esse placere; poetam autem, si artis praecepta servet, placere non posse quin prosit moribus (1), » addit, auspice Horatio (quod quidem prius dictis nonnihil differt), « utile nec in fabulas admittendum nisi jucundum sit, et *semper admittendum* (2). »

« Hoc quatuor modis fieri potest, primum serendis

(1) ... Il est impossible de plaire selon les règles, qu'il ne s'y rencontre beaucoup d'utilité.

(2) Ainsi, quoique l'utile n'y entre que sous la forme du délectable, il ne laisse pas d'y être nécessaire.

passim bonis sententiis documentisque (1). » — At totidem pravarum sententiarum atque sophismatum pleraeque tragoediae offerunt (sic prima Pompeii scena) (2). Alia quidem ex aliis facile discernet spectator, dum recta illi sit boni malique conscientia, et poeta improbis personis improba dicta tribuat : tum vero haec prior tragoediae utilitas ad secundam redit, quam mox videbimus.

Ceterum non sine causa Cornelius sententias com-

(1) J'estime donc qu'il s'y en peut rencontrer (de l'utilité dans la tragédie) de quatre sortes. La première consiste aux sentences et instructions morales qu'on y peut semer presque partout...

(2) Seigneur, quand par le fer les choses sont vidées,
La justice et le droit sont de vaines idées ;
Et qui veut être juste en de telles saisons
Balance le pouvoir, et non pas les raisons.

. . . .

Seigneur, n'attirez point le tonnerre en ces lieux ;
Rangez-vous du parti des destins et des dieux.

. . . .

Laissez nommer sa mort un injuste attentat :
La justice n'est pas une vertu d'État.

. . . .

La timide équité détruit l'art de régner.
Quand on craint d'être injuste, on a toujours à craindre ;
Et qui veut tout pouvoir, doit oser tout enfreindre...

(*Pompée*, I, 1.)

« Ce qui leur plaisait de la tragédie, c'était l'emphase, les discours sur la politique, *les maximes de perversité.* » (Gustave Flaubert, *Bouvard et Pécuchet*, V.)

mendat ; nam quanquam his sobrie uti suadet, prodigus ipse est sententiarum : cujus ex theatro excerpere est amplas de jure divino regum commentationes rationemque totam gerendae reipublicae. Nam sententiarum figura habet aliquid rigidi gravisque quod cum Cornelii personis maxime congruit. Viros in scenam inducit tam firma mente innixos et ita confidentes ut, quae sentiant, vehementissime asseverare soleant ; nulla vero loquendi forma sententiis rigidior firmiorque ; nulla inde magis « corneliana. »

« Altera erit dramatis utilitas si vitia virtutesque sincere exprimentur... ita ut facile dignoscantur nec possit vitium pro virtute haberi. Quo pacto haec semper amatur, vel infelix ; illud vero odium sui facit etiam si felices exitus habet (1). »

Haec Cornelius rectissime. Si qua in fabula male virtuti, vitio bene succedet, non magis illa inhonesta aut moribus noxia erit quam ipsum rerum humanarum, quales se habent, spectaculum. Non est utique

(1) La seconde utilité du poème dramatique se rencontre en la naïve peinture des vices et des vertus, qui ne manque jamais à faire son effet quand elle est bien achevée, et que les traits en sont si reconnaissables qu'on ne les peut confondre l'un dans l'autre, ni prendre le vice pour la vertu. Celle-ci se fait alors toujours aimer, quoique malheureuse, et celui-là se fait toujours haïr, bien que triomphant.

poetae officium res melius ordinatas et recto magis consentaneas fingere ac sunt, sed clarius et densius exprimere. Vulgus quidem plus justitiae ex theatro petit quam in vita videt, et bonos malosque merita sortiri, saltem in fabulae clausula, cupit. Infirmo plebis animo opus est mendaciis : illi placet si qua fabula multat maleficia et virtutes remuneratur ; tanquam fictis imaginibus injurias rerum repenset. Litterati autem viri tristes dramatum exitus (quod quidem est φιλοσοφώτερον) plerumque antefe- runt, sive hoc aliquid exquisitae voluptatis habet res penitus quales sunt etiamque pejores videre et illis superbam fastidiosamque mentem opponere ; sive, sapientiae disciplina informati, veritatem ante omnia diligunt, vel moestam odiosamque. Certe, pulcherrima quaeque opera videmus tristia esse. Quod ex Graecorum theatro superest parum fausto aspectu res humanas nobis offert : quippe ubi fatum dominetur, fatalesque cupidines. Fere omnes Euripidis tragoediae tetros eventus habent ; idque laudat Aristoteles. Haudquaquam laetiora finxit summus ille apud Britannos poeta (1). — Vel apud Racinium, cui mens

(1) Shakspeare.

perspicacior verique multo diligentior quam Cornelio fuit, plures fabulae miserabiliter exeunt. — Nostra tandem aetate ista pejora ac miseriora videndi exprimendique consuetudo litteras totas ita invasit, ut simplicis viri famam obtineat quisquis res humanas injustitiâ ac moerore minus plenas aestimat aut arte fingit.

Cornelius vero, postquam memoravit Aristoteli displicuisse felices tragoediarum exitus « qui tantum ob imbecillos spectantium animos gratiam habeant, » tamen, quum ipse candidior sit nec illius « imbecillitatis » omnino expers, a magistro suo paulum secedere sustinet, ratus tragoediam illa quae in bonos impendi solet voluntate huc adducendam fuisse ut sceleratos in clausula puniret, bonos remuneraretur (1). Quod vehementissime noster probat ; neque mirum. Nam, quos viros in scena finxit tam fortes superbosque, cupiditatibus majores et plus quam humanae conditionis, vult et fatis praestare, nec patitur ad extremum infelices esse ; aut, si pereunt

(1) C'est cet intérêt qu'on aime à prendre pour les vertueux qui a obligé d'en venir à cette autre manière de finir le poème dramatique par la punition des mauvaises actions et la récompense des bonnes... ... En effet, il est certain que nous ne saurions voir un honnête homme sur notre théâtre sans lui souhaiter de la prospérité et nous fâcher de ses infortunes...

(quod raro accidit) in illos mirationem potius quam misericordiam movet : tam aequo animo pereunt, adeo illis aes triplex circa pectus, adeo suo robore frui vel in morte videntur ! — Sic, dum alii poetae in effingendis arte hominum rerumque imaginibus pulchritudinem imprimis quaerunt, alii lacrimas, — studet noster homines majores fortunamque justiorem mentiri. Quare omnibus illius tragoediis fausti sunt exitus, sive boni improbos vincunt, sive improbi saltem multantur, bonique, vel victi, magis sunt triumphantibus similes.

In hoc ipso constitere ait tertiam utilitatem ; quartam vero in « cupiditatum purgatione » de qua posterius agetur.

§ 2. — De fabulae partibus quae ad inventionem pertinent.

Comoediam tantum attingit Cornelius. At, quum sit graecis litteris parum imbutus, Aristotelem ibi pessime interpretatur. Ait ab illo definiri comoediam « humilium subdolorumque hominum imitationem (1), » sibique hanc definitionem male placere

(1) Aristote définit simplement la comédie *une imitation des*

fatetur. Haec autem graece : Ἡ κωμῳδία ἐστὶ μίμησις φαυλοτέρων μέν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον. (1). Sic noster voluit φαυλοτέρων masculini generis esse, et sequentia neglexit. Comoedia vero ab Aristotele dicitur hoc imitari quod vitiosum simul et ridiculum est. Quae definitio forsan comoediae materiem arctius circumscribit, sed absurda dici non potest. Ita duplicem in modum peccare solet Cornelius, vel quod ex obscurioribus Aristotelis locis praecepta elicere laborat, vel quod quae satis clara sunt minus intelligit. Sed, ut diximus, parum refert Aristotelem recte an prave sit interpretatus, dum, illum interpretando, sensus suos penitus nobis recludat.

Hac potissimum causa notanda haec et perpendenda : « Dignitas tragoediae permagnas res atque « ad imperium attinentes poscit, aut aliquem animi « affectum amore generosiorem magisque virilem, « qualis ambitio est aut ulciscendi furor ; ita ut « majores timeantur calamitates quam amissa mu- « liercula. Operae pretium est, fateor, tragoediis « amorem immiscere, quia multum leporis semper

personnes basses et fourbes. Je ne puis m'empêcher de dire que cette définition ne me satisfait point...

(1) *Poétique*, V.

« habet et illo inniti possunt ceteri affectus et magna « consilia : his vero priores partes relinquat et secun- « dis sit contentus oportet (1). »

His multa explanantur, praesertim in novissimis Cornelii tragoediis. Apparet poetam religiosius in dies legem istam observasse sicque eo adductum esse ut omnino careret miseratione et lacrimis, vixque hominem sonaret. Si quaeres cur ita depressus amor ab illo sit in fabulis, memento quod genus amoris apud ejus aequales in gratia esset, et quam ipse magni notionem natura haberet.

Amor in *Astraea Cloelia*que et ceteris istius modi libris non jam impetus animi corporisque est, rationis expers, qui toto homine potitur invito : verum rationi subditur, urbanus est, verecundus, plenus argutiarum ; utpote qui mente magis quam pectore genitus sit ; tum apud viros in artem simul et religionem quamdam vertit, unde feminis ingens venire solet

(1) La dignité de la tragédie demande quelque grand intérêt d'État, ou quelque passion plus noble et plus mâle que l'amour, telles que sont l'ambition ou la vengeance, et veut donner à craindre des malheurs plus grands que la perte d'une maîtresse. Il est à propos d'y mêler l'amour, parce qu'il a toujours beaucoup d'agrément, et peut servir de fondement à ces intérêts et à ces autres passions dont je parle ; mais il faut qu'il se contente du second rang dans le poème et leur laisse le premier.

superbia. Mirum sane amorem et naturae parum consentaneum neque alte visceribus hercle inhaerentem, qui tam subtiliter ratiocinatur, quique adeo liberum amantibus animum relinquit ut viri omnia sine mercede patiantur, mulieres vero omnia imperare nec quidquam cedere sustineant ! Illud amoris genus, ut a vero longius discedit, ita minime tragicum dici potest. Quod jure e scenâ exterminavere poetae duo, veri observantiores, Molierus irridendo, Racinius amoris qualis reipsa est furores inordinatosque motus exprimendo. Sed ubique apud Cornelium (exceptis *Horatio*, *Polyeuctoque* et in primis *Cido*, quam ego tragoediam omnium minime « cornelianam » dicere audeo) floret vigetque idem amor atque in *Cloelia*, verbosus argutusque, aliis affectibus aut falsis opinionibus vanisque officiis, pudori, famae, superbiae, ambitioni, ulciscendi studio omnino subjectus. Incredibilia feminae ab amantibus exigunt. Ita Edvigia Garibaldo : « Amanti praemium satis « magnum est dominae servire... Verus amor prae- « mii spe nunquam corrumpitur (1)... » Eurydice

(1) L'amant est trop payé quand son service oblige...
Le véritable amour jamais n'est mercenaire ;
Il n'est jamais souillé de l'espoir du salaire...

Surenam servare potuisset : sed, quum nec ei nubere velit et eum aliam uxorem ducere vetet, ipsa perdit amans amantem (1). Berenice, postquam senatus Tito jus fecit illam in matrimonium accipiendi, hoc contenta, sponte discedit : « Tua essem, ait, si amarem ut ceterae mulieres solent (2). » Plautina Othonem amat, sed ei se nupturam negat nisi imperatori ; tunc eum jubet Camillam, cui Galba avunculus, amare, ut illam uxorem assumendo heres imperii fiat (3). Nihil eo amore frigidius, cujus proprium est aliis cupiditatibus minorem esse.

Quaerendum cur Cornelio tam placuerit sic deminutus amor. Hunc enim aestimat « parum illustrem virilemque » pro tragoediae dignitate : quasi hoc tantum tragicum sit quod virile est atque illustre ! Amissam amicam pro levi infortunio habet : sed, si perdite amatur, hunc dolorem non ita contemnendum

Faites-moi triompher au hasard de vous nuire...
Vous m'aurez faite heureuse, et c'est assez pour vous.
(*Pertharite*, II, 1.)

(1) *Suréna.*

(2) Si je vous en croyais, si je voulais m'en croire,
Nous pourrions vivre heureux, mais avec moins de gloire...
Et je serais à vous, si j'aimais comme une autre.
(*Tite et Bérénice*, V, 5.)

(3) *Othon*, I, 4.

esse probat *Cidus*. Ut sibi constaret noster, erravisse se in *Cido* fateri debuit. Nisi fallor, Chimenam fingendo ab institutis suis deflexit. Nam, si ipsius poetae naturam attentius inspexeris, tantam austeritatem tantumque candorem apud eum invenies ut non jam mirere si amorem in tragoediis tantuli habuerit. Siquidem specie quadam magnitudinis deceptus, « magnos et illustres » affectus vocat, quos magni eventus consecuturi sint; « viriles » autem, qui mentem minus turbent, voluntatem maxime excitent, et ad agendum impellant. Illi ambitio ideo amore « illustrior » videtur quod regni cujuspiam latitudo major est mulierculae statura; amor vero « minus virilis, » quod plus patitur quam agit. Neque illi objicias in amore, dum sit vehemens, plus esse misericordiae et lacrimarum : etenim non tam quod animum movet, quam quod stupefacit, tragicum appellat. Non dolorem e tragoedia nec animos hominum ad veritatem expressos, sed exteram magnitudinem et quamdam, ut ita dicam, enormitatem exposcit. Eas denique cupiditates tragicas existimat, non quibus major intus vis, sed quibus majus extrinsecus momentum. Eo igitur venit ut amorem merum despiceret, nescio qua innata morositate,

quam christianae sanctitatis studium apud senescentem auxit. Nam vincebat in *Cido* amor; vincebatur in *Polyeucto*, resistebat tamen. Post *Pompeium*, aliquot locis vix exceptis, ne resistit quidem. Femina hoc nomine digna nulla est : ubique immoderate mares animi (1) : dominatur magniloqua ambitio, regii sanguinis superbia, regnandi vel ulciscendi furor, acerrimae de rebus publicis contentiones. « Virilibus » affectibus nihil jam obstat, absente amore aut minimum tenente locum : unde nulla fere descriptio animorum multa intus agitantium vel inter diversa distractorum : simpliciores personae, et aliae aliis pares : aeque firma, rigida, inconcussa apud omnes voluntas : quas statuis tota mole porro euntibus similiores dicas, quam vivis hominibus.

Sic falsa magni imagine corruptae sunt posteriores ejus fabulae. Paulatim quidem, sed continuo processu eo pervenit ut nihil jam vere humani in fabulis superesse sineret. Inter illa dramata, ubi « ambitio, ultio, de imperio contentiones » primum occupant

(1) La tendresse n'est point de l'amour d'un héros...
Un peu de dureté sied bien aux grandes âmes.
(*Suréna*, V, 3.)

locum, sunt quae implicatissimi nodi novitate nos delectent (ita *Rodogune* vel *Heraclius*) ; sunt quae, si non nodo, hoc nos saltem detineant quod viros eventusque in historia notabiles oculis nostris subjiciunt (ita *Nicomedes*, *Sophonisbe*, *Sertorius*, *Otho*) ; sunt denique, et quidem plura, in quibus languida fabula, fictitii sensus sermonesque, viri aut eventus obscuri, ex ignotis annalibus arcessiti ; quae nec moveant pectus, nec mentem detineant.

At, quum nostro semper opus sit auctoribus, hoc praetexit : « Novum quidem videbitur illud prae-« ceptum (nempe ut amor secundas teneat) : tamen « viguit apud antiquos, quorum nulla tragoedia « amore tantum nititur, a multis amor abest (1). » Primum Euripidis fabulas omittit (2) ; tum obliviscitur quantum distent tempora differantque ; quae Athenis fuerint tragoediae principia, quae conditio mulierum ; praeterea fabulas, quas Graeci poetae explicare soliti sunt, ex antiquissimis aetatibus originem trahere, quum nondum amor praecipuum locum in vitâ homi-

(1) Cette maxime semblera nouvelle d'abord ; elle est toutefois de la pratique des anciens, chez qui nous ne voyons aucune tragédie où il n'y ait qu'un intérêt d'amour à démêler. Au contraire, ils l'en bannissaient souvent...

(2) *Hippolyte*, *Alceste*, etc...

num teneret. Eum tamen veterum exemplum praetendere forsan pateremur si ipse ex quibusdam saltem tragoediis amorem exclusisset : quem contra cunctis inseruit, sed demissum et humilem, aut frigidum affectatumque. Nullus fere poeta putidiores sermones amantibus dedit quam ille amoris contemptor.

Praeter tragoediam meram comoediamque, Cornelius aliud dramatis genus definit, in quo reges quidem sint actores, sed neque in capitis periculum neque in regni veniant : ita ut personae sint tragicae, fabula vero comoediae proprior (1). Hanc « comoediam heroïcam » vocat, ignotum antiquis genus, gloriaturque quod « vestigia graeca » non semel « ausus sit deserere. » An vero illi in mentem venerit posse alio etiam modo tragoediam comoediamque misceri, ita ut tragica fabula sit, personae autem comicae, postea videbimus. Ibi in hac definitione acquiescit :

(1) Bien qu'il y ait de grands intérêts d'État dans un poème, et que le soin qu'une personne royale doit avoir de sa gloire fasse taire sa passion, comme en *Don Sanche*, s'il ne s'y rencontre point de péril de vie, de perte d'États ou de bannissement, je ne pense pas qu'il ait le droit de prendre un nom plus relevé que celui de comédie ; mais, pour répondre aucunement à la dignité des personnes dont celui-là représente les actions, je me suis hasardé d'y ajouter l'épithète d'héroïque, pour le distinguer d'avec les comédies ordinaires. Cela est sans exemple parmi les anciens...

« Comoedia hoc differt a tragoédia, quod haec fabulam *illustrem*, *mirificam* gravemque poscit, illa communem jocosamque (1). »

Laudandus sane Cornelius, qui non personarum conditione, sed ipsius fabulae natura tragoediam comoediamque secerni voluerit. Sed, o praeceptorum vanitatem! non solum illa definitio praesenti tempore non jam rebus respondet (quum tragoedia vixerit comoediaque plura amplectatur): sed ne Racinii quidem fabulis convenit, quae pleraeque, si nomina regia mutes, communes sunt nec quidquam « mirifici » habent.— Nulla autem fere apud nostrum fabula est quae non rerum solitum ordinem egrediatur. Nam illius personae in angustiis rerum omnino insolitis oportet versentur, ut insolitam et plus quam humanam virtutem exercendi locum habeant. Sic illa definitio Cornelii saltem fabulis congruit, et, si non optima, certe « corneliana est » quod maxime quaerebamus.

Tum praecipit ut fabula in utriusque dramatis genere una sit et perfecta : hoc autem in secunda disputatione expressius repetetur.

(1) La comédie diffère donc en cela de la tragédie, que celle-ci veut pour son sujet une action illustre, extraordinaire, sérieuse ; celle-là s'arrête à une action commune et enjouée.

Ad mores veniamus. Aristoteles praescribit ut sint primum optimi (graece χρηστά) : quo nihil obscurius. Forsan significat mores bonos esse debere quantum liceat, ita ut improbos vel sceleratos in scenam non inducas, nisi fabula poscat. Huic interpretationi ipse dat locum ; nam in exemplum violati istius praecepti affert Menelaum Euripidis (in *Oreste*) : quem improbat non quod sit injustus, sed quod nulla necessitate sit. Verum, ut Aristoteles recte jubeat (quod in ambiguo est) mores quam optimos esse, hic male reprehendi Menelaus videtur : nam, mea sententia, poscit posterior fabulae pars ut in priore sit « injustus » neque Orestes ultima auderet, nisi primum a Menelao derelictus fuisset.

Est altera hujus praecepti interpretatio, quam suggerit hic Aristotelis locus : Ἐπεὶ μίμησίς ἐστιν ἡ τραγῳδία βελτιόνων, ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδίδοντες τὴν ἰδίαν μορφήν, ὁμοίους ποιοῦντες, καλλίους γράφουσιν. « Ὅυτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους καί ῥαθύμους καὶ τἄλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα ἢ σκληρότητος δεῖ, οἷον τὸν Ἀχιλλέα Ἀγάθων καὶ Ὅμηρος.... (1). » (Legit Cornelius non « Ἀγάθων » sed « ἀγαθόν ».) Unde colligi potest mores, sive bonos, sive etiam malos,

(1) *Poétique*, XV, 2.

ita pingendos esse ut speciem quamdam pulchritudinis habeant.

Hic sensus Cornelio magis placuit; nec mirandum, nota illius natura. «... Quaerendum est, ait, quod« dam *bonitatis* genus, quod nec malis moribus repu« gnet;.... reor ego poscere Aristotelem ut insigne « aliquid et excelsum moribus vel bonis vel malis « insit... » (1). Quae interpretatio num vera sit non ibi discutiendum: certe mirum in modum Cornelii scriptis confirmatur. Ipse exempla hujus morum « excellentiae » affert. Ait enim « Cleopatram in *Rodogune* pessimam esse, sed illius sceleribus tantam accedere magnanimitatem ut, dum facinora detestaris, simul ferociam, unde proficiscuntur, mirere (2). » Ceterum Cleopatra ipsa miratur sese, ut egregiam scelerum artificem, et nequitiae suae cons-

(1) ... Il faut donc trouver une bonté compatible avec ces sortes de mœurs; et s'il m'est permis de dire mes conjectures sur ce qu'Aristote nous demande par là, je crois que c'est le caractère brillant et élevé d'une habitude vertueuse ou criminelle...

(2) Cléopatre, dans *Rodogune*, est très-méchante; il n'y a point de parricide qui lui fasse horreur, pourvu qu'il la puisse conserver sur un trône qu'elle préfère à toutes choses, tant son attachement à la domination est violent; mais tous ses crimes sont accompagnés d'une grandeur d'âme qui a quelque chose de si haut, qu'en même temps qu'on déteste ses actions on admire la source dont elles partent...

cientia delectatur inflaturque. Nusquam tot ampullas in malis artibus invenias. Poeta rursus eam miratur, diligit, ut eximiae immanitatis monstrum, curatque ut, ad extremum invicta, superbe cadat. — Hujusdem generis est in *Theodora* Marcella: apud quam unus ex bonis affectibus superstes in filiam amor aliquid saltem humani odiorum atrocitati immiscet. Talibus gaudet monstris bonus Cornelius; quippe qui ejus ingenii sit ut ante omnia vim voluntatis, vel semota virtute et innocentia, quaerat et exprimere amet. — Eadem ratione bonos mores χρηστούς efficit. Amat virtutem ferocem tumidamque; inaudita excogitat officia, quibus ut fungaris ingenti conatu opus sit. Virtus modesta, qualis est Monimae, minus tragica illi videretur. Ergo, dum insolitas virtutes quaerit, omnino incredibiles et fere odiosas mentitur, quasi isto atrocis magnanimitatis studio apud eum obscuretur recti pravique notitia.— Ut nequitiae, sic virtutis portentosa profert exemplaria. AEmiliam diligit, quae pessimis artibus justam ultionem persequitur (1). Rodogunen fovet Seleuco et Antiocho promittentem, uter matrem occiderit, ei sese nupturam (2). Rode-

(1) *Cinna.*
(2) *Rodogune*, III, 4.

lindam carissimam habet, dum suum illa ferrei pectoris mater filium cupit a Grimoaldo interfici, ut tyrannus odia civium in se contrahat (1). Immanem sane animi constantiam et inhumanae ferocitati propiorem! — Hanc autem eo securius amplectitur noster, quod non tantum ingenio ingentia appetente impellitur, sed etiam, verbi sensu forsan detorto, Aristotelem auctorem habet χρηστὰ ἤθη praecipientem.

Praeterea « convenientes » mores oportet esse. « Poetae respicienda est personarum aetas, officium, genus, patria (2). » Scimus Cornelio cordi fuisse in tragoediis proprios cujusque gentis habitus et quem vocavimus « locorum colorem » observare. Sed, quum Racinii Turcas (3) irrideret, ipse sub nomine Romanorum Hispanos aut suae aetatis Francos producebat; neque hoc illi exprobrandum. Haud aliter nostro saeculo incipiente, dum poetae exteros mores praeteritorum temporum in theatro diligentius imitabantur, recentiores animos personis suis nescii

(1) *Pertharite*, III, 3.

(2) En second lieu, les mœurs doivent être convenables... Le poète doit considérer l'âge, la dignité, la naissance, l'emploi et le pays de ceux qu'il introduit...

(3) Dans *Bajazet*.

injiciebant (1). Adeo scena, volens nolens, aequalium mores ad summam exprimit!

Sequuntur loci communes ex Horatio assumpti : quid poetae nescire nefas; qui sint mores pueris, juvenibus, viris, senibusque proprii. Cornelius recte notat posse, contra Horatii legem, juvenes avaros, senes prodigos aut mulierosos esse. Ipse in novissimis fabulis senes amantes inducere est ausus (2). Addere potuisset paulum obsoleta esse pleraque Flacci praecepta vixque digna quae enuntiarentur; ceterum multas personas, praesertim in comoedia, eo novas vivasque esse quod non mores aetati suae consentaneos habeant. Nonnullas praesenti tempore fabulas commendavit adolescentium virilibus vitiis imbutorum pictura (3).

De morum « similitudine » pauca Cornelius. « Hoc, ait, maxime ad personas spectat historia vel fabula traditas : quae semper, quales traditae fuere, pingendae sunt (4). » Animadvertendum ibi fuit poetas,

(1) Cf. *Hernani*, *Didier*, *Ruy Blas*.

(2) Cf. Sertorius dans *Sertorius*, Martian dans *Pulchérie*.

(3) Cf. *Les Faux Bonshommes*, *La Famille Benoîton*.

(4) La qualité de *semblables*, qu'Aristote demande aux mœurs, regarde particulièrement les personnes que l'histoire ou la fable nous fait connaître, et qu'il faut toujours peindre telles que nous les y trouvons.

quoties ab historia materiem sumunt, non veritate teneri, sed hoc quod populus verum credit. — Sic Augustus Sertoriusque multo majores ac generosiores apud Cornelium sunt quam reipsa fuere. Hodie male excipiatur si quis Cidum in tragoedia, qualis fuit, exponat, ferum et praedabundum, nunc a christiano rege, nunc a Mauritanis mercede conductum.

De morum « aequalitate » nihil invenimus notatione dignum.

Hic fatetur Cornelius (1) vix intelligere se quid velit hoc Aristotelis : « tragoediam effici posse sine moribus ; et plerasque recentium tragoediarum moribus carere (2). » Haec alio philosophi loco explicat : « Si quis morales narrationes (ῥήσεις ἠθικάς male interpretatur) et crebros sententiis sermones intexerit, nihil ideo fecerit tragicum (3) » Hujusmodi sermonibus carere posse tragoediam noster concludit. Ve-

(1) Il se présente une difficulté à éclaircir sur cette matière, touchant ce qu'entend Aristote lorsqu'il dit que « la tragédie se peut faire sans mœurs, et que la plupart de celles des modernes de son temps n'en ont point. »

(2) *Poétique*, VI, 2..

(3) .... J'ai remarqué que ce philosophe dit ensuite que « si un poète a fait de belles narrations morales et des discours bien sentencieux, il n'a fait encore rien par là qui concerne la tragédie.... » C'est donc de ces maximes... que la tragédie peut se passer.

rum, si locum illum Poeticae totum legeris, intelliges, ut opinor, tragoediam, quum fabula ipsa in theatro praecipua sit, personis singularibus penitusque perspectis facilius carere, quam « actione. »

§ 3. — De fabulae partibus quae ad compositionem pertinent.

Non multa in hac parte reprehendenda nobis videntur. Cornelius tamen graecas tragoedias nostris similiores aequo fingit, reducto temere ad primum actum προλόγῳ, ἐπεισοδίῳ ad tres medios, ad quintum ἐξόδῳ. — Praeterea non illi in mentem venit posse sine ullo piaculo tragoediam plus aut minus quinque actibus habere. Revera, nonnullae nostrarum tragoediarum, in quibus exilior materia, in tres aut quatuor actus potuissent bene redigi. — Euripidis et Plauti prologos improbat. Atqui a spectantibus tolerabantur. Videtur saepius noster ignorare fere nihil inesse universi aut necessarii in scenicis legibus; non posse scenam stare nisi quibusdam pactis, ut ita dicam, inter poetam spectantesque; et pacta alia in aliis temporibus regionibusque esse. — Vult minores personas, quae in « protasi » praeterita narrant aut alios narrantes audiunt, reliquae etiam fa-

lae aliquando interesse, ne fictitiarum omnino machinarum speciem ferant. Inde plerumque aliquam animae particulam vel minoribus personis injecit, ut famulae in *Polyeucto*. His securius Racinius, tanquam inertibus instrumentis, utitur. — Denique fabulae λύσιν totam ad quintum actum reservari jubet noster, etiamque, quantum possis, ad finem removeri. Illud neque ab Aristotele praescriptum, neque apud veteres solitum, qui simplicissimis fabulis laetabantur iisque indefessas aures praebebant. Sed apud recentes, et in primis apud Cornelium multae sunt impeditiores fabulae et ad erigendam exspectationem aptiores : in quibus quum implicatissimus nodus maxime animos in se convertat, nihil jam, ubi solutus est, exspectatur. Illud igitur Stagiritae praeceptis recte additum.

II

DE SECUNDA DISPUTATIONE

§ 1. — Quomodo tragoedia affectus animi purget.

Jam vidimus tribus modis tragoediam utilem esse posse. Quartum ibi Cornelius aggreditur. Tragoedia, ut ait Aristoteles, « δι' ἐλέου καὶ φόβου πέραινει τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν ». Haec male interpretatus esse noster videtur. Nam intelligit tragoediam per misericordiam et timorem eosdem animi malos affectus, qui tragicas personas in infortunium adduxerunt, apud nos « purgare, » id est e nobis expellere (1). Significat

(1) La pitié d'un malheur où nous voyons tomber nos semblables nous porte à la crainte d'un pareil pour nous, cette crainte au désir

autem Aristoteles tragoedia « purgari, » id est puram innocuamque reddi, hanc ipsam misericordiam terroremque et ceteros ejusmodi affectus, quos spectantibus incutit. — Nam, dum in vita nonnunquam animi affectibus ita exercemur ut non jam nostri simus compotes, si eosdem ficta fabula nobis injicit, iis movemur quidem, sed volentes, nec toti; nam simul aut personarum mala fortiter patientium exemplo erigimur, aut fabulae structura carminumque pulchritudine delectamur : ita ut, vel flentes ac trepidi, nostri non amittamus imperium ; et, si quid in caritate hominum aut in malorum, a quo tutus sis, exspectatione dulce sit, hoc fruamur; si quid in extremis affectibus caecum ignavumque, hoc careamus. Forsan etiam, animi mollities hac ipsa exercitatione sic imminuitur ut, e fictis tragoediae calamitatibus egressi, paratiorem veris malis animum et firmiorem opponamus.

Non ita Cornelius rem intellexit. Imo duplici erravit modo. Nam, praeterquam censet purgandas esse

de l'éviter, et ce désir à purger, modérer, rectifier et même déraciner en nous la passion qui plonge à nos yeux dans ce malheur les personnes que nous plaignons, par cette raison commune, mais naturelle et indubitable, que pour éviter l'effet il faut retrancher la cause.

apud spectatores easdem quae in scena describuntur cupiditates (quanquam ipse alias asseruit non quaerendam ex tragoedia utilitatem), Aristotelem fingit praecipere misericordiam terroremque hactenus poetae adhibendos dum hanc κάθαρσιν peragant. Sic Aristotelis leges multo graviores interpretando efficit ; atque, ut ita dicam, Stagiritae odia extendit, nedum, ut jurisconsulti volunt, restringat. Verum tanta illi tamque invicta inest ingenii vis, ut, si qua praecepta, vel antiquissima et maxime reverenda, suis operibus admodum contraria esse senserit, ea tandem aut perrumpat aut deludat.

Quod ibi potissimum apparet. Nam quum noster fictitiis se ipse impediverit vinculis, his aliquando se expedit, seu per vim atque audaciam, seu subtilem ratiocinationem contexendo.

Volueral Aristoteles quam simillimos nobis esse tragoediae actores, quo vehementius moveamur, perspecta illorum fortuna illos ideo nec omnino bonos esse nec malos, et aliquo errore, cui obnoxii ipsi simus, in infortunium adduci. OEdipum Thyestenque in exemplum afferebat. Quorum neutrum edictae legi respondere Cornelius

demonstrat (1). Vetuerat Stagirites optimos aut pessimos in aerumnam incidentes exponi, quod illud plus quam misericordiam, hoc ne misericordiam quidem, neutrum vero terrorem excitet, quum nec optimi nec pessimi ipsi simus. In quo num recte senserit non hic quaerendum : certe plerasque personas contra illam legem Cornelius in scenam induxit. Quum igitur omnia sua in discrimen venire intelligat, insueta audet, utpote qui aras focosque tueatur. Aristoteli aperte resistit Polyeuctum, Nicomeden, Heraclium multosque alios e scena excludenti ; retinetque in tragoedia optimos viros, « vel si illorum mala fortuna misericordiam tantum nobis, non timorem injiciat ; neque ullum affectum spectantium purget (2). » « Illi, quales sunt, placuere : quid possit am-

(1) Le premier (Œdipe) me semble ne faire aucune faute, bien qu'il tue son père, parce qu'il ne le connaît pas, et qu'il ne fait que disputer le chemin en homme de cœur contre un inconnu qui l'attaque avec avantage..... Pour Thyeste, je n'y puis découvrir cette probité commune ni cette faute sans crime qui le plonge dans son malheur. Si nous le regardons avant la tragédie qui porte son nom, c'est un incestueux qui abuse de la femme de son frère ; si nous le considérons dans la tragédie, c'est un homme de bonne foi qui s'assure sur la parole de son frère avec qui il s'est réconcilié, etc....

(2) L'exclusion des personnes tout à fait vertueuses qui tombent dans le malheur bannit les martyrs de notre théâtre. Polyeucte y a réussi contre cette maxime, et Héraclius et Nicomède y ont plu, bien

plius requiri ? » Adde satis tragicum opus esse, si amore atque admiratione in illos movemur ; et idem satis moribus utile, si nos optimorum virorum miseret.

Verum non diu a magistro dissentire sustinet : en jam sudat quomodo sese ad illius placita componat atque accommodet. Extenuare et emollire, ut ait, Aristotelis edicta nititur. Primum animadvertit nusquam ab eo vetitum ne misericordia timorque separatim atque a diversis personis incitentur (1). Deinde censet induci posse in scenam hominem optimum eumdemque infelicem, dum plus pietatis in eum quam indignationis in oppressorem concipiamus, (quasi indignatio non sit etiam aliquid tragicum !) ; rursusque permittendam scenam vel pessimis hominibus in infortunium incidentibus, dum hoc exemplo vitium aliquid, non par quidem, sed consimile illorum

qu'ils n'impriment que de la pitié et ne nous donnent rien à craindre ni aucune passion à purger.....

Et un peu avant : Si la purgation des passions se fait dans la tragédie, je tiens qu'elle doit se faire de la manière que je l'explique, *mais je doute si elle s'y fait jamais.*

(1) Cependant, quelque difficulté qu'il y ait à trouver cette purgation effective et sensible des passions par le moyen de la pitié et de la crainte, il est aisé de nous accommoder avec Aristote. Nous n'avons qu'à dire que, par cette façon de s'énoncer, il n'a pas entendu que ces deux moyens y servissent toujours ensemble, et qu'il suffit, selon lui, de l'un des deux pour faire cette purgation, etc....

nequitiae, apud nos possit corrigi (1). Illo tandem argumentorum circuitu hinc Polyeuctum, illinc Cleopatram, et ceteros utriusque generis tuetur, salva Stagiritae reverentia. Sed ut diximu, Aristotelem confutando prodit. Nam ille optimos pessimosque viros in extrema mala venientes a scena ideo prohibuerat, quod nec terrorem nec misericordiam moveant, nullamque jam *καθάρσεως* mentionem fecerat : noster autem eos ideo exclusos fingit quod nullum apud nos malum affectum corrigant. Quanto rectius omnia ista *καθάρσεως* impedimenta sprevisset ! Nam si vivae effinguntur personae, et eae vivis majores, quid refert optimae an pessimae sint, misericordiam sine timore an timorem sine misericordia moveant ? Neque tamen sine aliqua voluptate vidimus tantum virum, postquam injustam legem prava interpretatione graviorem effecit, aliquando reluctari et jura proprii ingenii defendere, non tam vi veritatis, quam suae naturae, impulsum.

(1) Trouvons quelque modération à la rigueur de ces règles du philosophe, ou du moins quelque favorable interprétation... Quand un homme de bien qui souffre excite plus de pitié pour lui que d'indignation contre celui qui le fait souffrir, ou que la punition d'un grand crime peut corriger en nous quelque imperfection qui a du rapport avec lui, j'estime qu'il ne faut point faire de difficulté d'exposer sur la scène des hommes très-vertueux ou très-méchants dans le malheur.

§ 2. — Quae sint maxime tragica argumenta.

Tum inquirit Aristoteles quibus potissimum modis moveri possit misericordia, inde timor, quem consequatur κάθαρσις. Si quis inimicum inimicus persequitur perditque aut perdere studet, hoc ait nullam injicere nobis miserationem, neque esse tragicum. Mira sane sententia : quasi non ipsa magnitudo odiorum movere nos per se atque detinere possit ! Nihil tamen objicit Cornelius ; quippe qui, rara et « mirifica » tragoediarum argumenta furari solitus, consanguineorum discordias motaque inter proximos odia praeferat. Sed, nisi fallimur, multa contradicere Racinius queat.

Ergo Stagiritae magis tragica res videtur, si inter proximos agitur. Hic Cornelium subiit non modo nonnullas apud Graecos tragoedias sed etiam magnam partem suarum illa conditione carere. Viam autem invenit qua Aristotelis auctoritas salva evaderet. Fingit enim hanc conditionem (ut antea κάθαρσιν) non omnibus aeque, sed tantum perfectis et omni parte absolutis tragoediis exquiri (1). Unde fit ut multa dramata, a

(1) ... Il y a quelque apparence que cette condition n'est pas d'une

quibus ista conditio abest, quae tamen ingenue admirari et quam pulcherrima solebamus existimare, in secundum jam ordinem relegare debeamus. Quam sint vanae istius modi disputationes liquet. « Sunt verba et voces... »

Esto odia exercenda tantum inter proximos. Hoc quatuor modis effici posse Lycaei magister edixit. Noscas quem perdere velis, perdasque : illud minus tragicum. (Quod tamen invenire est in *Medea*, *Agamemnone*, *Choephoris*, *Electra*.) Perdas ante quam noveris, perditumque aegre agnoscas (ut in *OEdipo*) : id quidem melius est. Persequaris ignotum, agnoscasque priusquam perdideris (ut in *Iphigenia in Tauride*) : illud optimum omnium est. Noscas, persequaris, neque inceptum peragas : illud vero omnium pessimum. Cujus in exemplum Haemona affert minantem patri, subitoque animos compescentem : haec autem minima pars tragoediae, ac pene extra fabulam est. Tum, ut haec scena merito reprehendatur, non inde sequitur pessimam quamque fabulam esse ubi praeci-

nécessité plus absolue que celle dont je viens de parler, et qu'elle ne regarde que les tragédies parfaites, non plus que celle-là..... Je n'entends pas dire que celles où elles ne se rencontrent point soient imparfaites... Mais, par ce mot de tragédies parfaites, j'entends celles du genre le plus sublime et le plus touchant...

puae alicujus personae voluntas aut necessitati cedat aut cogitando mutetur.

Hic iterum Cornelius, quod de carminibus suis fere omnibus agi sensit, in magistrum insurgit (1). Quartum enim argumenti genus, quod pessimum Stagiritae videtur, optimum existimat : in quo majorem locum obtinent intimi personarum sensus, quos poeta subtili sermone evolvit. Testes *Cidus*, *Cinna*, *Rodogune*, *Nicomedes*. Quin etiam noster, crescente audacia, dubitat an, quod genus fabularum Aristoteles ante alia commendat, pessimum omnium sit (2) : quippe quo nihil incuti nobis queat nisi brevis miratio.

In summum minus delicato judicio usus Aristoteles hic videtur. Dicas eum hoc argumenti genus praeferre quod minorem animi humani peritiam a poeta exigit, quodque magis factis quam sermonibus

(1) Si cette condamnation n'était modifiée, elle s'étendrait un peu loin, et envelopperait non seulement le *Cid*, mais *Cinna*, *Rodogune*, *Héraclius* et *Nicomède*.

Disons donc qu'elle ne doit s'entendre que de ceux qui connaissent la personne qu'ils veulent perdre, et s'en dédisent par un simple changement de volonté, sans aucun événement notable qui les y oblige, et sans aucun manque de pouvoir de leur part...

(2) ... Je pense être bien fondé sur l'expérience à douter si celle qu'il estime la moindre des trois n'est point la plus belle, et si celle qu'il tient la plus belle n'est point la moindre...

audientes detinet ac potius puerili exspectatione quam cupiditatum descriptione delectat : ignobile quidem genus, plebi magis accommodatum, neque ab isto dissimile quod recentes « melodrama » vocaverunt. Nec tamen eum sic sentire miraberis, si animadvertes plerasque fabulas, unde graeci poetae materiem sumebant, miris fortunae casibus et solito vitae tenore longe distantibus fere totas constare, et fato majorem locum quam hominibus attribuere. Quare et « agnitiones » vehementer commendat Aristoteles et de his longum disserit; quas noster minoris pretii esse obiter demonstrat. — Multum igitur abest ut omnia Stagiritae praecepta in universum sint accipienda : nonnulla apud diversas gentes artis tragicae miracula non modo non possunt ad id quod optimum arbitratur, sed ne ad ullum quidem commendatorum ab illo generum referri.

§ 3. — Quid poetae liceat ab historia materiam sumenti.

Haec autem fundata in domesticis odiis argumenta, primum an integra excogitare poetae liceat, tum, in his quae historia aut fabula suppeditat, an mutandi aliquid venia detur, Cornelius, duce Poeticae auctore,

inquirit. Sed, quasi eum recentis audaciae poeniteat, timidum jam sese et rerum sive scriptarum sive traditarum observantiorem praestat.

Primum genus (si quis proximum noscat perdatque) vult utique ex historia sumi, non excogitari, ut mirum nimis et naturae contrarium. Fas ibi a nostro dissentire. Concedamus poetae jus vel inaudita excogitandi; dein recte an prave res sit tractata videndum erit. — Tum definiendum esset qui « proximi » sint. Num ibi « proximi » dicuntur sponsi et conjuges? Praeterea distinguendi propinquitatis gradus : nam plerumque minus invidiosa inter fratres odia quam inter matrem filiumque; minus inter patruum fratrisque filium quam inter fratres (hic *Hamletus* in exemplum veniat). Errat qui de tam multiplici diversaque materie universa edicere affectat.

Secundum genus (si quis proximum persequatur perditumque aegre agnoscat) Cornelius dubitat num possit excogitari: quippe quod, si non tam invidiosum, non minus mirum sit. (Tamen apud recentem poetam fabulam hujuscemodi, et eam de integro excogitatam invenimus) (1).

(1) *Lucrèce Borgia.*

Tertium genus (si proximum persequaris et ante agnoscas quam perdideris) excogitandi dat veniam: sed illud, ut antea nos monuit, minoris aestimat.

Non sine quodam moerore nostrum in his ambagibus morari et frustra laborare videmus. Nam, quas quaestiones instituit, decidere eum res ipsa vetat. Praecepta de his universa ponere nemini licet, nisi fabulas trium generum, quaecumque adhuc excogitatae sunt, singulas altius inspexerit. Tum restat ut, quaecumque excogitari possint, praevideas. Huc accedit quod plurimae sunt de integro fictae fabulae, et quidem pulcherrimae, in quibus non inter proximos odiis exercitos res agitur: quae rursus singulae discutiendae, ut certe praescribere queas quid tragico poetae excogitare liceat, quid non. Infinitum sane opus et forte humanis viribus majus, quod plus scientiae liberiusque judicium velit, quam apud Cornelium reperimus.

Dein examinat an mutare aliquid liceat in his quae vel historiis vel fabulis tradita sunt. Opinatur eventum semper servandum, vias autem quibus ad eventum pervenitur, mutari posse, praesertim ut primarum partium actori gratia spectantium concilietur. Sic ipse non Cleopatram ab Antiocho, nec Prusian a

Nicomede occidi, spreta historia, finxit. Quaerendum vero num Antiochus in *Rodoguna* primas revera teneat; quaerendum etiam num utique necesse sit in tragoediam personam aliquam culpa omnino vacuam esse. Hoc praeterea discernendum utrum historia, unde poeta materiem sumpserit, notissima sit, necne. Etiam si totum *Heraclium*, totamque *Rodogunam* noster excogitasset, nihilo minus has tragoedias acceptas haberemus.

Hic nobis Cornelius lepidum exemplum nescius affert, quomodo contra legem quam tibi finxeris ire possis, quanquam eam servare te profitearis. Nam vult ab Oreste nolente matrem occidi, dum AEgisthum petit (1). Scilicet hoc artificio salva est antiqua fabula, nec Orestes invidiam suî facit. Multo aliam hinc exire tragoediam Cornelius ne suspicatur quidem. Cur autem ab ista fabula, qualis tradita est, abhorruerit, facile intelligitur. Poeta enim vel invitus

(1) Pour rectifier ce sujet à notre mode, il faudrait qu'Oreste n'eût dessein que contre Égisthe, qu'un reste de tendresse respectueuse pour sa mère lui en fît remettre la punition aux dieux; que cette reine s'opiniâtrât à la protection de son adultère, et qu'elle se mît entre son fils et lui si malheureusement qu'elle reçût le coup que ce prince voudrait porter à cet assassin de son père : ainsi elle mourrait de la main de son fils, comme le veut Aristote, sans que la barbarie d'Oreste nous fît horreur, comme dans *Sophocle*...

temporis sui mores cultumque tribuere tragicis personis solet: unde nonnunquam accidit ut inter illarum habitum atque acta multum intersit; illincque nostri aequales, hinc prioris esse aetatis, qua apud rudes homines vis cupiditatum violentior erat, videantur. Quod in Racinii *Iphigenia* et *Esther* maxime deprehendas. Unde inducemus forte non jam omnia quae nobis antiqui tradiderunt tragoediarum argumenta ab recentibus bene tractari posse.

Quae autem in historiis mutare poetae licet, haec quatenus et qua lege mutanda sunt? Hic liberiorem se praestat Aristoteles; cujus tota fere sententia in hoc resumitur: « dicendum poetae, non quod accidit, sed « quod accidere potuisset, ut veri simile aut necessa- « rium. » — Necessarium vero appellare videtur quod plus quam veri simile est, nempe quod, positis quibusdam conditionibus locorum, temporum, morumque, persona tragica facere non tantum potuerit, sed et natura coacta fuerit. Quidquid id est, maximam in tractanda historiarum materia libertatem concedit. At Cornelius, puerili, ut ita dicam, rerum scriptarum veneratione, concessa ab Aristotele jura multum restringit; ac praeterea, dum hunc locum Poeticae illustrare enititur, quae sunt per se satis lucida, haec

tandem laboriosae disputationis argutiis obscurat. Cujus summa tantum retinebimus.

De « veri simili » nulla edisserit memoria digna. « Necessarium » autem, quum non sit ab Aristotele definitum, circumscribere ipse suo modo tentat. Necessaria ait esse « quibus poetae opus sit, quum ut ad propositum suum perveniat, tum ut personas (1) ad propositum ipsarum perducat. » Proposita personarum diversa : amans dominam possidere, vir ambitiosus imperium usurpare, injuria laesus ulcisci in proposito habet. Quae illis opus est facere ut propositum attingant, haec Cornelius vocat necessaria. Rursus poeta propositum habet placere, servatis artis suae legibus : quas ut servet, illi opus est historiam contrahere, si forte poposcerit « unitas diei ; » omnes personas in eumdem locum inducere ; nimis invidiosa attenuare, multa corrigere, ornare, aut spectantium moribus opinionibusque accommodare : haec omnia item necessaria appellat. Hinc igitur quae ad componendam tragoediam nectendasque inter se scenas, illinc quae ad inveniendos et expri-

(1) Je dis donc que le nécessaire, en ce qui regarde la poésie, n'est autre chose que *le besoin du poète pour arriver à son but ou pour y faire arriver ses acteurs...*

mendos personarum sensus actusque attinent, considerat. Hinc quod scenae ipsius conditio imperat, etiam contra veri simile; illinc quod maxime veri simile est, aeque « necessarium » habet. Num rectum sit tam diversas res, imo contrarias, uno verbo comprehendere, vehementer dubitamus. Adde Cornelium suis semet argutiis implicare, quum hinc necessarium dicat quod regulae imperent, illinc regulam quaerat adhibendi necessarii vel contra historiam.

Tandem ad experimentum venit. « Quae in tragoedia aguntur, si historiam sequantur, vera sunt; si quid addant historiae, aut veri similia aut necessaria; si historiam mutent, utique necessaria esse debent (1). » Cui praecepto multa non tantum Euripidis, sed et Cornelii opponam. Saepissime enim satis est veri similia esse etiam ea quae, spreta historia, in theatro aguntur. Ceterum a disputatore ad poetam provocamus. Nam ipse in extrema *Disputatione* fatetur arduum esse huic libertati contra verum ac veri simile, si res voluerit, eundi certas metas po-

(1) ... (Des actions qui composent la tragédie) les unes suivent l'histoire, les autres ajoutent à l'histoire, les troisièmes falsifient l'histoire. Les premières sont vraies, les secondes quelquefois vraisemblables et quelquefois nécessaires, et les dernières doivent toujours être nécessaires.

nere; restringendum jus aut extendendum, prout vulgata sunt tragoediarum argumenta; plus sibi licuisse in *Rodogune* aut *Nicomede*, quorum nomina paucissimi audivissent, quam in *Horatio* aut *Pompeio*, quorum historias nemo fere ignoraret.

Minus facilem animum in comoediam noster habet : cui jus negat « fabulam accelerandi ut in unum diem redigatur (1). » Nam existimat (non sine aliquo contemptu) comicam fabulam, quum a tenuibus personis agatur et tota sit in amoris lusibus servorumque dolis, semper facile posse uno die evolvi. Scilicet non praevidebat multo aliam olim comoediam fore, ac theatrum pene totum, expulsa tragoedia, invasuram : ita ut doctissimae illae disputationes ab hominibus magis praeteriti temporis quam tragoediae ipsius studiosis tandem legerentur.

(1) Je ne pense pas que, dans la comédie, le poète ait cette liberté de presser son action, par la nécessité de la réduire dans l'unité de jour..... Les actions de la comédie partent de personnes communes, et ne consistent qu'en intriques d'amour et en fourberies, qui se développent si aisément en un jour, qu'assez souvent, chez Plaute et chez Térence, le temps de leur durée excède à peine celui de leur représentation...

III

DE TERTIA DISPUTATIONE

§ 1. — De unitate actionis.

Una esse fabula Cornelio videtur, « si primas partes agenti unum in comoedia impedimentum, unum in tragoedia periculum adeundum est (1). » Objici quidem potest Cinnam et Augustum, Joam et Athaliam vicissim in periculo esse, atque uter primas teneat non facile dignosci.

Continuo fatetur noster admittenda plura hinc impedimenta, illinc pericula, dummodo principem fabu-

(1) L'unité d'action consiste, dans la comédie, en l'unité d'intrique, ou d'obstacle aux desseins des principaux acteurs, et en l'unité de péril dans la tragédie.

lae personam necesse sit ex alio in aliud incidere (1). At Rodericus, qui cum Chimenae patre, cum Mauritanis, tandem cum rivali pugnat, tria haec pericula non ita adit ut ex alio in aliud necessario incidat : quis tamen infitias eat unam esse fabulam? Rursus Cornelius negat unum esse *Horatium*, quum Horatius duo pericula adeat quorum non alterum, defenso altero, utique adeundum sit (2). At si non posterius prioris effugio, saltem ipsa Horatii natura moribusque necessario gignitur : neque, ut sunt jam expressi personarum mores, post Horatii victoriam, neque post Camillae necem, finem facere fabulae possis. Idem de *Theodora* objectum eodem modo solvitur.

Fatendum est minus lucide nostrum hic disserere. Qui duplicem in *Horatio* fabulam deprehendit, unam in *Pompeio* esse asseruerat (3) quum tamen, si eadem

(1) Ce n'est pas que je prétende qu'on ne puisse admettre plusieurs périls dans l'une, et plusieurs intrigues ou obstacles dans l'autre, pourvu que de l'un on tombe nécessairement dans l'autre.

(2) ... J'en ai marqué la duplicité indépendante (des périls) pour un défaut dans *Horace* et dans *Théodore*, dont il n'est point besoin que le premier tue sa sœur au sortir de sa victoire, ni que l'autre s'offre au martyre après avoir échappé à la prostitution.

(3) Voir le premier discours.

trutina rem pensitaveris, duplex etiam appareat *Pompeii* fabula. (Nam primus actus quasi priorem tragoediam et a ceteris partibus distinctam continet : quam totam deradere et in sequentem actum, narrandam, non agendam, transferre possis, nullo fabulae ipsius detrimento.)

Sed noster, quam primam proposuit definitionem, iterum corrigere tentat. « Ne intelligas unam tantum actionem in scena exponendam. Una quidem esse debet actio, et ea tota, quae animos audientium quietos relinquat : verum non tota evolvi potest nisi aliae accedant, quibus ad finem producatur (1). » Quid velit his Cornelius, in ambiguo est. Forsan intelligit fabulam vel unam non nisi pluribus scenis evolvi posse, quae aut actionem praeparent, aut actionis partem aliquam singulae contineant (quod per se liquet) ; an praecipuae actioni alias subjicien-

(1) Ce mot d'unité d'action ne veut pas dire que la tragédie n'en doive faire voir qu'une sur le théâtre ; celle que le poète choisit pour son sujet doit avoir un commencement, un milieu et une fin, et ces trois parties non seulement sont autant d'actions qui aboutissent à la principale, mais en outre chacune d'elles en peut contenir plusieurs autres avec la même subordination. Il n'y doit avoir qu'une action complète, qui laisse l'esprit de l'auditeur dans le calme ; mais elle ne peut le devenir que par plusieurs autres imparfaites qui lui servent d'acheminement et tiennent cet auditeur dans une agréable suspension.

dias innectendasque putat, quibus sublatis superesse quidem possit tragoedia, sed jam simplicior exiliorque. Ita, mutata paulum fabula, perstante tamen, Camillam ex *Horatio*, Orestem ex *Andromache*, Arsinoen ex *Hominum Osore* (1) tollere queas.

Si fabulae « unitatem » ita definire velis, ut graecae, britannicae, hispanae, gallicaeque scenae pulcherrima opera amplectaris, dicere forsan licebit unam esse fabulam quoties in ea evolvitur *una praecipua series actionum,* quae aut aliae aliis aut personarum affectibus moribusque necessario gignantur, quaeque, permutato illarum priore statu, eas ad novum statum adducant in quo aliquando possint requiescere.

Verum, ut Cornelius minus lucide definierit quid sit « una » fabula, satis apparet illum quam maxime unam esse fabulam voluisse. Quod ut assequatur, duriusculas leges edicit, ex quibus certe liqueat eum novae huic et liberiori dramatis formae, quae nostris temporibus praevaluit, repugnaturum fuisse. Vult enim quidquid in fabula agendum sit, hoc incipiente fabula jam posse praevideri atque « ex primo actu

(1) *Le Misanthrope.*

originem trahere. » Quod praeceptum censet et in *Cido* violari, advenientibus post primum actum necopinato Mauritanis, et in *Sancho*, exsurgente extremum, quasi e capsula, piscatore. Vetat quoque clausulam aut accedente machina fieri, aut mutata temere personarum voluntate. Praescribit etiam ut jungantur inter se in eodem actu singulae scenae. Hoc autem ornamentum vocat, non praeceptum (1). Tamen si iisdem, atque ille, oculis rem inspexeris, non minoris refert jungi inter se scenas quam unam esse diem unumque locum : etenim non « veri simile » est personas, vacua interdum scena, ideo tantum incedere videri ut spectantibus committant quod illos nosse oporteat.

Memorat tandem quinque actus ab Horatio praescribi ; saepe apud Graecos aut pauciores aut plures esse videri ; apud Hispanos tres esse. Conjicere inde potuisset multum ibi poetis licere (2).

(1) La liaison des scènes qui unit toutes les actions particulières de chaque acte l'une avec l'autre... est un grand ornement dans un poème...; mais enfin ce n'est qu'un ornement, et non pas une règle.

(2) Voir le premier discours, vers la fin.

§ 2. — — De unitate diei.

Unitas vero, ut barbare loquamur, unitatem vocat. Ait enim noster illud praeceptum « ut una sit dies » hoc Aristotelis dicto fundatum esse ; « tragoediae aut amplectendum unum solis orbem, aut non multo praetereundum (1). » Nihil autem in *Poetica* tale invenimus. Stagirites, dum epicum tragicumque genus inter se comparat, illa animadvertit et temporis diuturnitate (τῷ μήκει) differre : « Ἡ μὲν γὰρ ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ και τούτῳ διαφέρει (2) ». Ergo Cornelius praeceptum esse a Stagirita, quod tantum notatum est, fingit. Graecorum enim tragoediae, quum pleraeque nostris multo sint simpliciores, sponte magis quam consulto consilio, uno solis orbe comprehenduntur. Adde tamen (ut exemplo utar) tres AEschyli de Oreste tragoedias pro una quadam ampliore tragoedia, in tres actus divisa, haberi posse, in qua

(1) La règle de l'unité de jour a son fondement sur ce mot d'Aristote, « que la tragédie doit renfermer la durée de son action dans un tour de soleil, ou tâcher de ne le passer pas de beaucoup. »

(2) *Poét.*, V.

una quidem fabula, sed nec una dies nec unus locus sit.

Alio exemplo Cornelius ipse invitus demonstrat Graecos « unitatem diei » nec semper nec consulto observasse. Existimat illos, hac pressos lege, nonnunquam impossibilia finxisse : sic in Euripidis *Supplicibus* Thesea amplius quadraginta millia ab Athenis progredi, pugnam conserere et victorem redire, dum chorus triginta versus recitat. Ita antiqui poetae agi intra quartam horae partem fingunt quod reipsa decem dies postulabat : recentiores vero, dum scena vacua est, quartam horae partem decem diebus aequam esse mentiuntur : inter haec artificia non video quid intersit. Ut vera dicam, non mihi magis videtur « una » esse dies in *Supplicibus* vel *Agamemnone*, quam in *Hamleto*.

Huic tamen fictitiae legi bonus Cornelius causas quaerit. Nam, quum tragoedia vitam hominum imitetur, oportet, quae in scena aguntur, non diutius durare quam si reipsa agantur. Illud autem quum difficillimum esse sentiat, dat poetae licentiam duobus horis includendi quae revera quatuor, sex, decem, viginti horas poscunt. Illi (ut olim Horatius veterum poetarum amatoribus), acervi argumentum

opponemus. Quid enim interest utrum quarta pars horae, quae singulos actus sequitur, par decem horis habeatur, an decem diebus? Noster denique artificium puerile invenit, quo salva sit ista, quam mentitus est, regula : nam poetis suadet ne unquam in tragoediis audientes moneant quamdiu fabula durare censeatur (1).

§ 3. — De unitate loci.

Eadem de loco. Existimat enim, quum una sit dies, inde sequi ut unus debeat esse locus (2). (Non tamen unus locus est in *Eumenidibus*.) Tum, ut nuper temporis, sic loci dilatandi dat copiam, dum unius urbis fines non excedas (3). Hic eodem, ac supra, argumento utemur : quid interest utrum scena centum passibus an centum millibus passuum dis-

(1) Surtout je voudrais laisser cette durée à l'imagination des auditeurs, et ne déterminer jamais le temps qu'elle emporte, si le sujet n'en avait besoin...

(2) Quant à l'unité de lieu, je n'en trouve aucun précepte ni dans Aristote, ni dans Horace : c'est ce qui porte quelques-uns à croire que la règle ne s'en est établie qu'en conséquence de l'unité de jour...

(3) J'accorderais très-volontiers que ce qu'on ferait passer en une seule ville aurait l'unité de lieu...

tantia loca alterne repraesentet? Tum idem, ac nuper, artificium Cornelio succurrit : vult agi pariter omnia in eodem loco, qui nunquam nominetur, et cujus aspectus semper idem sit.

Obliviscitur multa, ut jam diximus, pacta esse inter poetam et spectantes : nempe ut tragicae personae versibus utantur; ut conveniant quoties opus sit; ut *una* fabula oculis nostris subjiciatur, quanquam, si res ipsas consideraveris, nullus est in vita humana eventus qui non multis aliis circumdetur misceaturque. Pactum denique est ut una hora et unus locus pro pluribus, si res poscat, accipiantur. Cum Cornelio faceremus, si illa loci ac diei unitate inutilia artificia e theatro expellerentur : sed ablatis, ut vidimus, alia supposita sunt, et forsan pejora (1).

(1) Les jurisconsultes admettent des fictions de droit, et je voudrais, à leur exemple, introduire des fictions de théâtre, pour établir un lieu théâtral qui ne serait ni l'appartement de Cléopâtre, ni celui de Rodogune dans la pièce qui porte ce titre, ni celui de Phocas, de Léontine ou de Pulchérie dans *Héraclius*, mais une salle sur laquelle ouvrent ces divers appartements, à qui j'attribuerais deux priviléges : l'un, que chacun de ceux qui y parleraient fût présumé y parler avec le même secret que s'il était dans sa chambre; l'autre, qu'au lieu que dans l'ordre commun il est quelquefois de la bienséance que ceux qui occupent le théâtre aillent trouver ceux qui sont dans leur cabinet pour parler à eux, ceux-ci pussent les venir trouver sur le théâtre, sans choquer cette bienséance, afin de conserver l'unité de lieu et la liaison des scènes.

Haec nostrum latuere, et Aristotelis reverentia et immodico « unitatis » studio obcaecatum. Sponte tamen agnoscit tantum in *Horatio*, *Polyeucto*, *Pompeioque* unum vere esse locum unamque diem. Fatetur deinde « regulas magno esse impedimento, multaque pulchra a nostro theatro prohibere (1). » Ipse duriora praecepta saepius fefellit quam servavit : quare dubito num multo alia illius tragoediarum species fuisset, si praecepta omnino ignorasset. Conjici tamen nonnulla possunt. Forsan in *Rodogune*, *Heraclioque* quaedam agi oculisque submitti voluisset, quae, laboriose narrata, fabulam obscurant. Forsan etiam illud maxime implexarum tragoediarum genus saepius tractavisset.

(1) ... S'ils voulaient donner dix ou douze poèmes de cette nature au public, ils élargiraient peut-être les règles encore plus que je ne fais, sitôt qu'ils auraient reconnu par l'expérience quelle contrainte apporte leur exactitude, et combien de belles choses elle bannit de notre théâtre.

IV

DE PRAEFATIONIBUS AD FABULAS ET EXCURSIBUS

§ 1. — Ad *Melita* ad *Cidum.*

Ex Cornelii *praefationibus* ad fabulas *excursibusque* non omnia notatione digna colligemus, sed ea tantum quae aliquid addunt tribus de *Poetica* disputationibus.

In his inveniemus magnam diligentiam, nonnihil superbiae, perpetuam nova faciendi affectationem, liberius judicium : nam, quum suum poetae sub oculis sit opus, illius amore vel inscius tanquam capitur, et paulo minorem, ut aequum est, Aris-

toteli fidem adhibet quam quum de universo disserebat.

In primis comoediis non illi videtur utique servanda loci dieique unitas; fatetur « se non poenitere quod in *Melita* non una sit dies (1). » In *Vidua* autem et *Xysto* (2) fabulam in quinque continuos dies volens distribuit. Ait etiam se *Clitandrum* per jocum et jactantiam composuisse; et fere gloriatur si quid enorme inordinatumque inest in *Mendaci Spectaculo* (3).

Paulatim tamen ingravescit apud eum praeceptorum reverentia. Nullo enim in *excursu* exquirere omittit an fabula una sit. Primum in quarta comoedia (4) continua scenarum junctura; rupta semel in *Platea regia;* in posterioribus fabulis (excepto *Cido*) continua est. *Medeam* in quinque actus voluit prolatare, quanquam quintum actum fere totum inutilem, et eumdem odiosis spectaculis plenum agnoscit. In eodem loco praecipit ut ante actorum

(1) Que si j'ai renfermé cette pièce dans la règle d'un jour, ce n'est pas que je me repente de n'y avoir point mis Mélite ou que je sois résolu de m'y attacher dorénavant. (Préface de *Clitandre*.)

(2) *La Galerie du Palais.*

(3) *L'Illusion.*

(4) *La Suivante.*

narratio non sine causa fiat, minoresque personae fabulae quam maxime intersint (1).

Semel jam atque iterum profitetur quae maxime illi cordi sunt. Jam videtur esse regum exteraeque magnitudinis venerabundus: nam in excursu de *Clitandro*, quibus diversis modis reges, salva dignitate, in theatrum induci possint, edisserit. — Celidem vero in *Xysto*, Angelicam in *Platea Regia* arguit, ut *nimio* amore captas suique minus compotes. (Profecto Plautina, Berenice, Pulcheria, isti delicto minime obnoxiae erunt!) Eadem mente Alidorem fingit, in *Platea Regia,* Angelicae amantem, eam nulla alia causa derelinquere, nisi ut animi robur gratuito ostentet ac sese omni cupiditate liberum sentiat. « Nam « honestissimus quisque non amare nisi volens debet : « ne unquam ita ames ut non amare non possis (2). » Quae doctrina in novissimis nostri fabulis plus aequo proditur, easque frigidissimas facit.

(1) Voir le premier discours.

(2) C'est de vous que j'ai appris que l'amour d'un honnête homme doit être toujours volontaire, qu'on ne doit jamais aimer en un point qu'on ne puisse n'aimer pas. (Dédicace de la *Place Royale.*)

§ 2. — A *Cido* ad *Surenam.*

Contigit vero ut *Cidi* fabula Aristotelis praeceptis omnino respondere videretur: quare noster gloriatur, et quas nuper eluserat leges, arctissime amplectitur. Mirum enim in modum delectatos illa tragoedia spectantes credit, quod ibi duas optimae tragoediae praecipuas conditiones invenissent: eum, qui primas agat, nec omnino malum esse nec omnino bonum, et illi pericula parari ab amante. Suspicor equidem quasdam alias esse causas cur *Cidus* adeo placuerit. Saltem objici possit, ut opinor, Rodericum « omnino bonum » esse, neque aliis affectibus moveri nisi iis qui optimum virum deceant. — Rursus Cornelius miratur Polyeuctum valde placuisse, quamvis hoc idem Aristotelis praeceptum violet. Dubitare autem licet num Polyeuctus « omnino bonus » sit, qui humanos affectus spernat et quasi caeco novae religionis amore abripiatur. Nos sane Rodericus Polyeuctusque movent; sed dubium est num illam morum mediocritatem habeant quam Aristoteles commendat; imo vero, ut unus tantum eorum sit « omnino bonus, » uter sit in ambiguo est.

Illam morum mediocritatem apud Theodoram fatetur nequidquam esse, « eamque Termino similem « videri cruribus brachiisque egenti. » Nec tamen suspicatur posse idem dici de multis aliis suarum tragoediarum personis. Aliud *Poeticae* praeceptum in Valente violatum esse praesentit : quippe qui timidus, socors et ignave sceleratus sit neque « χρηστὰ ἤθη » habeat. Anquirendum sit num istius modi personae (hic Valens, alias Felix, Maximus, Ptolomaeus) in tragoediam admitti possint. Constat nihilominus in *Theodora* Aristotelem bis sperni. An ea causa vitiosa sit illa fabula, imo an vere vitiosa sit nescimus. Certe multa arte composita est ; quin etiam, ut Theodora frigida sit, magno sublimique animo est : ita ut non sine aliqua voluptate videamus alias personas aestuantes circa illam virginis immotam et quasi marmoream imaginem. Sed, quum non possit noster non aliquando cum magistro suo in gratiam redire, en ridiculis argumentis demonstrat Placidi, Marcellae Flaviaeque exemplo « cupiditates purgari. »

In aliis quibusdam *Excursibus*, historiae multo minus reverentem quam in *Disputationibus* se praestat. Nihil enim historiae in *Heraclio* superesse voluit nisi nomina ordinemque imperatorum. In *Sertorio*

Sullam sex annos ultra vixisse finxit, ut unitatem diei posset servare. Simul apparet id tragoediae genus, quod « melodrama » vocamus, illi magis in dies acceptum esse. Ita omnia in *Rodogune* ideo disposita esse confitetur quo obscurior quintus actus fieret et longiore exspectatione, aenigmatis instar, animos detineret. Quam tragoediam maxime « suam (1) » arbitratur : quasi summa poetae virtus in intricandis fabulis consistat. *Mendacis* argumentum invenisse malit quam *Cidum* aut *Polyeuctum* scripsisse(2). Gaudet etiam quod ita implexum sit *Heraclii* argumentum ut vix intelligatur, vetatque « ne veri simile sit « pulchrae cujusque tragoediae argumentum (3). » Simpliciorem vero ratus *OEdipi* fabulam, oraculum ita dividit ut Dirce et Theseus vicissim credantur designari ; et, quod apud Sophoclem prima statim scena liquet, in quinto tantum actu lucidum fieri voluit.

(1) Cette tragédie me semble être un peu plus à moi que celles qui l'ont précédée, à cause des incidents surprenants qui sont purement de mon invention et n'avaient jamais été vus au théâtre... (Examen de *Rodogune*.)

(2) ... Le sujet m'en semble si spirituel et si bien tourné, que j'ai dit souvent que je voudrais avoir donné les deux plus belles que j'aie faites et qu'il fût de mon invention. (Examen du *Menteur*.)

(3) ... J'irai plus outre ; et... je ne craindrai point d'avancer que le sujet d'une belle tragédie doit n'être pas vraisemblable... (Préface d'*Héraclius, Au Lecteur*.

Aliud etiam dramatis genus quasi odoratus est : « Nonne timor ac misericordia animos vehementius « moverent, si non jam in scena potentissimi reges, « sed nostrae conditionis homines malis afflicta- « rentur (1) ? » Ab illa opinione, multis annis post, « plebeia tragoedia » originem duxit. Quod genus licet non improbare videatur, ipse non tentavit, exterae cujusdam magnitudinis in dies diligentior. Inde novum nobis argumentum accedit, non tam illum Aristotelis reverentia quam proprio ingenio plerumque motum esse, et, quaecumque fecit, volentem fecisse.

Tandem specie magni delusus, omnes fere affectus et cupiditates e tragoedia extrudit, retinetque tantum ambitionem superbiamque. Jam, ut in prima *Disputatione* voluerat, de nulla alia re agitur, nisi publica (2). Sublato amore, sublata humana quaque infirmitate, riget algetque tragoedia. Nihil jam tragicum, ne in clausula quidem : omnes sine lacrimis, non-

(1) Or... n'est-il pas vrai aussi que ce sentiment pourrait être excité plus fortement par la vue des malheurs arrivés aux personnes de notre condition, à qui nous ressemblons tout à fait, que par l'image de ceux qui font trébucher les plus grands monarques ?... (Préface de *Don Sanche.*)

(2) Préfaces de *Nicomède*, *Sertorius*, *Sophonisbe*, *Pulchérie.*

nullae sine sanguine fabulae (1) : « comoedia heroïca » magis ac magis nostro placet. Non enim jam personae per miserationem terroremque, sed tantum « *per admirationem affectus spectantium purgant* (2). (Sic nunquam Aristotelis praecepta omittit, vel quum longius a Graecorum arte abest.) Illis de re publica grandiloquis disceptationibus mens nonnunquam detinetur; miramur orantium ferocitatem : sed neque imo movemur in pectore, et mox crescente fastidio invadimur : nam quid nobis cum his larvis commune? Merum hominem, cui sanguis sit, et nervi et molle pectus, frustra quaerimus. Poeta vero quasi furore quodam instinctus a recta via usque progreditur; superbe ridet si quis illi feminas maribus fortiores exprobrat; juvat eum studia aequalium offendere (3). Postremo in-

(1) *Tite et Bérénice*, *Agésilas*, *Pulchérie.*

(2) ... Dans l'admiration qu'on a pour la vertu de Nicomède, je trouve une manière de purger les passions dont n'a point parlé Aristote, et qui est peut-être plus sûre que celle qu'il prescrit à la tragédie par le moyen de la pitié et de la crainte, etc.... (Préface de *Nicomède*.)

(3) ... Et j'aime mieux qu'on me reproche d'avoir fait mes femmes trop héroïnes... que de m'entendre louer d'avoir efféminé mes héros par une docte et sublime complaisance au goût de nos délicats, qui veulent de l'amour partout. (Préface de *Sophonisbe*.)

natae austeritati christiana sanctitas, annis vergentibus, accedít : non tantum poetae, sed et christiano viro nefas putat « affectus quosdam animi *totos* in « scena exprimere (1). » Hermionae Orestisque personas non tantum ut tragoedia indignas, sed ut impias arguit ac pene horret.

(1) ... Les tendresses de l'amour content sont d'une autre nature, et c'est ce qui m'oblige à les éviter. J'espère un jour traiter cette matière plus au long, et voir quelle erreur c'est de dire qu'on peut faire parler sur le théâtre toutes sortes de gens, selon toute l'étendue de leurs caractères.... (Préface d'*Attila*.)

V

CONCLUSIO

Ex his tria possunt concludi :

1° Quaedam falsa, plura obscura sunt in Aristotelis *Poetica*.

2° Qui *Cidum* scripserat, idem deinde *Theodoram*, *Pertharitum*, *Sophonisben*, *Attilam*, *Surenam* que composuit, *non deficiente, ut quidam volunt, ingenio, sed ingravescente magnitudinis cujusdam amore, quem a principio ad finem servavit.* Nam Alidor in *Platea Regia* Eurydice que in *Surena* consanguinei sunt. Cornelium vidimus amorem in dies magis contemnere, nullosque jam affectus probare nisi eos qui ad rem publicam attinent, quique magnum aliquid proposi-

tum habent aut magnos conatus suscitant. Tandem, puerili quodam et eodem sublimi mentis errore, hoc duntaxat magnum existimat quod regium est; neque aliud pulchrum arbitratur nisi ipsum voluntatis nisum, quodcumque propositum sit. Igitur, nullo amore, nulla pectoris humani mollitie, tragoedia periit: jam vivum humanumque nihil deprehendas nisi hunc ipsum insanientis poetae ad sublimia ascensum.

3° Ut noster Aristotelis praecepta sit veneratus, *non tamen illis vere impeditus captusque est.* Ea fert quidem, sed aegerrime; neque multo aliae fuissent illius fabulae si ea aut ignorasset aut sprevisset. Regulas, ut ait, mitigat; ausum nova saepissime se jactat. Quamvis κάθαρσιν prave interpretatur, et quod Aristoteles incaute praescripserat, absurdum facit, subtili disputatione assequitur ut in omnibus suis tragoediis κάθαρσιν fieri demonstret. Ex quatuor argumenti generibus ad movendos animos magis aptis, quae Stagirites docet, hoc Cornelius aliis anteponit, quod ille minoris aestimat. Quam historiae religiosam venerationem profert, ea non impedit quin historiam funditus perturbet in *Heraclio*. Unitate loci dieique magis forsan est retentus: hanc autem sae-

pius servare videtur quam servat; praeterea id illi ingenium erat ut fabulam quam maxime unam esse vellet. In summum magis reveretur Aristotelem quam sequitur. Si qua somniatur, ea non tantum libentissimo animo, sed infracta superbia somniari illum patet. Stat utique poetae nostri opus a quibuslibet aliis penitus distinctum, et nescio qua rerum hominumque enormitate insigne : in quo certe « spiritus eminet, quem, ut optimus judex (1) ait, sublimem habebat. »

(1) La Bruyère.

INDEX MATERIARUM

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. VII idus jun. ann. MDCCCLXXXII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur

Academiae Pariensis rector,

GRÉARD.